

culum. Taurus quippe ferociens me cornibus sub brachiis arreptum, diu multumque per plateam cursitando jactavit, nulla hominum ad eundem accedere auro, usque dum me remotius abjectum semivivum deferuisset. Alios casus, præsertim qui in mea per Hungariam peregrinatione, rupta sub me in lacubus ad Papam glacie, nec non in Danubio prope Budam vitam meam in extremum adduxerant discrimen, nunc commemorare nolo.

§. IV.

**Q**uemadmodum autem vitam a majoribus meis accepi, ita afflictiones quoque & persecutiones propter veritatem Evangelicam non me primum salutarunt; verum ab iisdem hæreditatis instar mihi relictae sunt. Pater etenim meus post Rákóczianam revolutionem parochia & facultatibus exutus, integro quadriennio miseram in exilio ducere debuit vitam; Avus autem incruentis æque ac cruentis martyribus merito adnumerandus, non solum in Citatione Posoniensi Anno 1673. & 1674. quid sit captivitas Papistica, sufficienter agnovit; verum etiam postquam inde opera certi amici prorsus mirabiliter liberatus in Ecclesia *Cbischnensi* sacro defungeretur Ministerio, ab